



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt V. Continentiæ paupertatis, obedientiæq[ue] virtutes, si per votum Domino consecrentur, mirificè Christianam, augere libertatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

CAPVT V.

*Continentia, paupertatis, obedientiaq; virtutes, si per
votum Domino consecrentur, mirifice Christiana-
nam augere libertatem.*

HÆc ipsa autem tria quanquam per se præclara sunt, maximeque promoueant Christianam libertatem: tamè cum voto Domino consecrantur atq; dedicantur, laudabiliora redduntur, & Christiani hominis libertatem veram multo maiorem efficiunt, tribus potissimum de causis. Prima est, quòd iam ad pietatem & Dei cultum pertinere incipiunt: quæ virtus est multo nobilior. Secunda, quòd is qui hæc vouet, plenius se perfectiusque Deo subiicit & adiungit, quam ille qui eadem sine voto facit. Ita enim se totum Domino consecrat in hoc genere actionis; vt iam non sit integrum aliud agere. Quamobrem nõ actum vnum, sed ipsam quoque illi potestatem offert, velut si quis non ex arbore fructum decerperet, quem Domino offerret suo, verumetiam ipsam quoque arborè in illius transferret potestatem. Tertia, quia per votum voluntas confirmatur & roboratur in sancto proposito: firmitus enim fixiusque bonum retinemus, quod nos sine graui periculo amittere non posse videamus. Magis etiam vehementiusque opprimitur flamma concupiscentiæ, cui spes nulla relinquatur desiderata voluptate perfruendi. Ideoque de virginibus vestalibus, quæ nubere vel senes poterant, seque aliquando nupturas sperabant, dicit Prudentius contra Symmachum libro secundo:

*Non totum spes salua interficit ignem;
Nam resides quandoque faces adolere licebit,
Festaque decrepitis obtendere flammae canis.
Tempore præscripto membra intemerata requirens,
Tandem virgineam fastidit Vesta senectam.*

1 2

Quo

Quo autem est voluntas in sancto proposito constan-
tior atque stabilior, eo melius gratusque est quod ex
ea boni proficiscitur: sicut è diuerso, quo voluntas est
in malo obfirmatior, eo ipso redditur peius, quod agi-
tur ex ea.

CAPVT VI.

*Quàm laudabile sit continentia votum
ostenditur.*

SA NE quoad sanctum continentia² propositum
attinet, magnopere hoc ponderauit Augustinus,
quod uirginitas Domino uouetur atque dedicatur.
Ait enim in libro De sancta uirginitate: Nulla carnis
fecunditas sancta³ uirginitati etiam carnis comparari
potest. Neque enim & ipsa, quia uirginitas est, sed
quia Deo dicata est, honoratur: ac per hoc spiritalis
est etiam uirginitas corporis, quam uouet ac seruat
continentia pietatis. Sicut enim nemo impudicè ui-
tur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia: ita
nemo pudicitiam seruat in corpore, nisi spiritu prius
instita castitate. Porro autem si pudicitia conugalitatis
quamuis custodiatur in carne, animo tamen, non carni
tribuitur, quo praeside atque rectore, nulli, praeter pro-
prium coniugem, caro ipsa miscetur: quanto magis,
quantoque honoratius in animi bonis illa continen-
tia numeranda est, qua integritas carnis ipsi creatori
animae & carnis, uouetur, consecratur, seruat. Sic
Augustinus. Haec est igitur illorum eunuchorum
praecleara uirtus, de quibus in Euangelio scriptum est,
quod seipso castrauerunt propter regnum caelorum:
quod non ob aliud dicitur, quam quia sibi metipsis
uouendo, coniugij ineundi ademerè potestatem. De
his eunuchis & Isaias scripsit, praemiaque magnifica
ijs praeparata, uerbis est pluribus profecutus. Non di-
cat eunuchus (inquit) Ecce ego lignum aridum. Quia
haec

Cap. 8.

Matth. 19.

Isa. 56.